ftius

Leszczyński Casimiri Ignatii: Ver aureae aetatis in campo regalis Sarmaniae floridum —

V E R
AVREÆ ÆTATIS
IN
Campo Regalis Ianinæ Floridum,

SERENISSIMO POLONIARVM PRINCIPI
Domino Domino

IACOBO

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI

IOANNIS III.

Regis Orthodoxi
MAGNÆ SPEI FILIO
Ad primos Maij Natales,
Die Serenitatis Suæ Natali
PRÆSENTATVM,

A
CASIMIRO JGNATIO Comite de Leſzno in Gołuchow,
Palatinida Podlachiæ,
In Collegio Varſauienſi Societatis JESV Rhetoricæ Auditore,
ANNO
Vernantis in terra Nazaræi Floris M DC LXXXI.

VARSAVIÆ, Excudebat Carolus Ferdinandus Schreiber.

Ver, floresq; Tuo plantauit Gratia Scuto:
Huius ferri, Ætas Aurea, fructus erit.



Flora petit Clypeum, flores Mars: de Indole Nostri
Principis, hic floret, bella sed illa gerit.

AD

SERENISSIMVM
IACOBVM
POLONIARVM PRINCIPEM.

REgium MartisCampum, in Gentilitio SCVTO Tuo patentem, augustæ Spei floribus consitum suspexi PRINCEPS SERENISSIME. Vbi videns Poloniæ à Campis dictæ, etiã in Martis arena, ipsoq; Clypeo flores Pacis crescere; & ex ferro auream ætatem nasci: è voto publico à Te accepta publici Veris auspicia, Tibi defero. In flore enim ætatis Vestræ Principes, integra regna florent, & in primi Veris Serenitate vernant serenius. Aduertit Sarmaticus Ales in Te paruo suo Augusto, maximas spes, & vota Orbis vernare; cui ille boni ominis augur, augustas ætates pollicitus; nidum suum nõ solis floribus Tuis; sed etiam adultis in Sceptra & diademata frondibus, optat à Te

coronari. Meus etiam Gentilitius Vrus, in regio Martis Paciſq; Campo, ad regalis fortunæ & imperij curſum paratiſsimus; auſpicia Volucris Polonæ ſequitur. Atque in Tua Sereniſsima Indole, Ver aureæ ætatis veneratus, grauiore ferro non eget; quo in ſui Principis obſequia cicuretur. Habet ille virentem tamnum, orbitaſq; florum de annorum Tuorum Vere collectas, quibus vinculatur: vt æterno Honori & amori Tuo mancipetur. Recreatus inter amæniſsima florum Tuorum folia, literarum folijs Ver Tuum explicare; vnde Palladem Floræ vices obire, meque florilegium agere, voluit. Quod dùm è voto publico ordior, floribus Tuis INSCRIPTIS NOMINA REGVM, regias plantationes, pijſsimo SVPPLANTATORI Diuo IACOBO conformes, inſcribo. Atque cum ijs VER AVREÆ ÆTATIS, in Tua Serenitate perpetuo obſequio colere volens, me ſimul Gratiæ Principis implantandum conſecro.

SERENITATIS VESTRÆ

Honori Deuotiſsimus

CASIMIRVS JGNATIVS
Comes de Leſzno.

V E R
Aureæ Ætatis.

FOrmantur ſæcula ferrea in aurum: Vbi Tu in prima ætatis Tuæ aurora, aureas horas vniuerſæ ſpondens Sarmatiæ, in ipſo florentis vitæ Maio Auguſtos Virtutis aureæ exhibes. PRINCEPS SERENISSIME. Eadem eſt Serenitatis Tuæ efficacia, quæ Solis: vtriuſq; transfuſi per terras radij, inter ipſas craſſiores ferri maſſas, auri venas reperiunt: atq; ferrugine exeſa ambuſtaq; metalla, in pretioſas glareas reformant. Debent id Reſpublicæ ſuis Principibus; quòd grandibus illorum auſpicijs, grandes quaſq; ærumnas doment; magna ſpe, maximas cogant fortunas; ipſam ferream temporum duritiem in aurum flectant. Et concepta enim ſperantium vota, & Indoles votorum ſpeiq; capaciſſima, occulta quadam vi, in animos ſubditorum influere videtur: Vt iſtud eis fortunatè adferat, quod fortunatè ſperari potuit. Sperabamus Lechi poſt pluuios ſanguinis imbres, ferriq; grandinem, tandem auream pacis meſſem: fauebant votis ſigna Lunæ Thraciæ, ad fulmen Auguſti Iouis noſtri, pallidæ, ideoq; cruore ſuo pluentis: verùm Mars Polonis domeſticus, nondum Saturni Sceptra admiſit: & caſſidi aſuetā frōtē, ad flores & ſerta nondum expediuit: vt, qui ferrum vix natæ Poloniæ induit, ſub ferro eam & adoleſcere & conſeneſcere ſpectaret. Nihilominùs etiam ſub brumales Martis rigores, atramq; belli caliginem, in Te Serenum Gratiarum Ver habet Sarmatia; atq; diluculum aureæ ſuæ ætatis ſuſpicit. Nouit illa ſub galea rigentem verticem ad coronarios flores aptare: quos de Tua

Indole, vota publica præripiunt. Florent in Te polo Poloniæq; addictorum Principum auspicia : florent Regalia Casimiri Lilia, cælo concolores Henrici violæ, meditatæ magnanimi, licet teneri Sigismundi Laureæ, plurimis purpuris dignæ Vladislai Rosæ, cæteriq; tam Gratijs, quam Bellonæ adamati flores. Hortum Principum exhibere videris; quorum Tu implantatam indolem vultu Tuo circumfers. Suffecerit Astiagi vna vitis aurea, ad plurimorum regnorum inumbrandam fortunam : Tu non vnius vitis, sed tot florum folia, quot dignarum Principe virtutum indicia, ad vniuersæ Patriæ gratissimam conformas vmbram : sub qua illa Martios æstus temperet. Paruorum Principum vultus non parui plerumq; solatij palæstra est : In hac maxima Regnorum Capita tristiore belli nube inuoluta serenantur : atq; Martio puluere inspersæ frontes amæniùs deterguntur. Serenas Tu Aquilæ Polonæ oculum, tristiore belli fumo ad lachrymas vsq; amaricatum : qui futuri præscius magnarum omina rerum venturosq; triumphos, in Tuo Serenissimi Iùli nostri Clypeo consignatos intuetur. Vnde tota in Tuo vultu suspensa hæret Polonia, ac in eo florentis amænæq; spei Ver, etiam sub rigidam hyemem à Caucaso Hæmoq; excitatam lætior accipit.

Instar veris enim vultus vbi Tuus
Affulsit populo ; gratior it dies,
Et Soles meliùs nitent. Horat lib. 4. Od: 5.

Profectò in Martio regalis JANINÆ campo, non sola tela & hastæ, aut cataphracti (vt olim Thebis) viri, crescere debebant : sed etiam flores, mox in virgas solidas & Sceptra dominantium adulturi. Campus enim hic quem regale SCVTVM exhibet, æque Palladis floridam ac Martis rigidam suscipit plantationem. Cùm ex vtraq; Laureæ in coronarium sertum vniuersæ Sarmatiæ æquali serenitate adolescant.

IN

IN CAMPO REGALIS JANINÆ PLANTATIO MARTIS.

-- -- -- Mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ. *Claud. de nupt. Honorij.*

TOtus Orbis in vnam Laureæ orbitam abiret;
Si omnes Principes JACOBOS haberet:
Hoc est
pios iustosq; SVPPLANTATORES.
Qui Laurus & oleas plantarent;
Simul Reges & Agricolæ:
Etiam in Castris Hortenses & Hortensij:
Sceptriferam manum aptando ad vomeres,
licet non cum Fabricijs.
Vomeres Gradiui sunt acinaces,
Quibus in campo Martis virtutis cultura est facienda:
Hîc vt crescat Gloria, plantatur labor,
Sudore imo sanguine irrigatus.
In Polonia florilegium agent messores palmarũ gladij:
Qui serenum Fortunæ Ver auspicantur,
A natali Principis sui serenitate.
Hostiles tumulos, in virtutis areolas disponent
Victrices Hastæ;
quæ frondent in palmas,
annis diebusq; PRINCIPIS NOSTRI palmares.
Cultissima fiet Martis plantatio;
quam barbarus sanguis fæcundabit,
Victrice Polona manu effusus.
Quidquid ille insperserit, rosa fiet,
Serenissimi JACOBI triumphali pede calcanda.
Affundet hostilis cruor,
Non vnam purpuram floribus,
In annorum Coronam Principi nostro crescentibus.
Vt sic ætas eius floreat,
Ad purpuras multorum Regnorum candidata.

 Et in

Et in ipſo flore,
Maturas annoſaſq; plurimorum ſpes coronet.

PLANTATIO PALLADIS.

TE Iouis Quercus, & Apollinaris
Vmbra Corymbi,
Te volunt Lauri, Tibi ſe Latini
Arbor Alcidæ probat, & ſupinis
Annuit ramis, & amica circum
Tempora ſerpit, Sarbieu: lib: 2. od. 12.

BEne conuenit
inter palmarum & paginarum folia:
Vtraque pari fructu explicantur, licet diſpari colore.
Nigra ſepia folijs chartarum affuſa,
plerumque in baccas Lauri purpuraſcit;
mox virorem Fortunæ datura.
Purpuræ enim Honorum,
Plurimis non pluris conſtant,
Quàm atra literarum tinctura:
Quâ bene docti Apelles,
& ho nores & mores colorant.
Non alibi meliùs arbor Alcidæ vernat;
quàm in Latio.
Tua hæc eſt indoles, Princeps Optime,
Quód paruus noſter Alcides, ita Latium ames,
Vt docueris ætatem noſtram.
Etiam extra Alpes, ſub frigida Arcto,
Muſis Caſtalios fontes calere.
Hîc Tibi Calami
In folia Gloriæ abeuntes,
Lauretum exhibent.
Cui mox tela & haſtæ frondeſcentés
palmarium dabunt.
Optimè nôſti, ſolis illis deberi Iouis quercum,
qui Apollinarem corymbum tulerint.

Palla-

Palladium quæris tener Achilles,
Vt pergama non vnius Troiæ, sed orbis
expugnare discas.
Nec aliter Perseu noster vis triumphare,
Nisi Palladis ægide viceris.
Porrigunt igitur Tibi herbam Musæ:
Quæ suum Heliconē in Capite & Corde Tuo inuenerūt.
Multarum gentium linguæ & idiomata
confluxerunt ad Caput Tuum:
Ad quod olim multarum gentium
diademata confluent.
Iam Tullium & Archimedem in Te efformas:
Vt & ore & manu orbem scias metiri:
Et quidquid Tullius eloquio persuaseris,
Hoc in punctum Gloriæ Tuæ confluat.
Etiam Eloquentiæ flores, sub linea mathematica
Tibi benè plantantur:
Qui nihil potes discere, quod non sit rectum;
adeoque ad lineam regalis Sceptri compositum.
Coronam quæris Princeps
inter flores Palladios:
Vt discat Orbis vniuersus,
Poloniæ Principibus pluris constare sapientiæ,
quàm regni coronam:
Illosque, nō priùs ad coronarium aurum Caput aptare,
quám ad auream sapientiam.
Illæ demùm Coronæ sunt fortissimæ & fortunatissimæ,
quarum frontem occupat pretiosus vnio,
Achates Musis & Apolline signatus.

PLANTATIO FORTVNÆ

. . . Inscripti nomina Regum
nascuntur flores . . . . *Virg. Eccl: 3.*

Valete Insulæ Fortunatæ:
Fortunæ hortos non iactetis:
Præripuit vobis omnem Fortunæ florem,

Triumphalis Regius Campus;
Regios flores progerminans
Lilia inter Laureas.
Inſcripti *Nomina Regum flores*
Dum creſcunt, orbis oculos ſerenant.
Habet, quod hîc videat
Sol dexter, Luna ſiniſter mundi oculus.
Nec quidquã videbit; quod nõ orbe toto ſerenũ fuerit.
Suam quoq; hîc contuetur ſerenitatem,
Cæcum alias Numen,
Hortulana tantæ Plantationis Fortuna.
Hîc illa oculos reperit:
Flores enim iſti, nõ iam pratorum, ſed bonorũ Fatorum
Oculi ſunt.
In vnius Principis vultu,
Omnium ſubditorum, imò Regnorum
Fortunæ, & fortunata ſæcula videntur.
Maieſtas Regum, ſpeculum eſt ſubditorum.
Et, vix orta in diluculo ætatis Serenitas,
Totius futuræ diei omen habet.
In Tuorum annorum flore, Princeps Sereniſſime,
Videt Polonia ſuas adoleſcere fortunas:
Et in Vere ætatis,
Iam æſtatem auream recipit.
Aurei enim mores Tui, aureum ſæculum
Quia promittunt, iam exhibent.
Cùm omnis de Te concepta ſpes, rem loquatur,
Simul præſtitam ac ſperatam.
Fuerit cæteris Fortunæ ſatis,
Fortunas habere,
In ipſis puerilibus faſciis ſecum colligatas;
Vt ſecum rectiùs creſcerent:
Nihilominùs Tibi etiam extra faſcias
Fortuna vinculata eſt:
Quam Libertas Polona,
Obſequio Principis ſui obligauit.

Cæteris

Cæteris ad genium Libertatis,
liber dubiusque respondet Fortunæ fructus:
Tuum florem necessario consequitur;
Vt pote non solo sanguine Serenissimo,
Sed etiam virtute & gloriâ paternâ plantatum.
Fortes creantur fortibus.
Sentient ætates, quid possit indoles
Nutrita faustis sub penetralibus?
Quid Augusti paternus animus?
Ergo iam, serant plurimi in aduentu Principũ flores,
vt in plausus laudesq; succrescant;
Nos illos de Te colligimus;
In quibus non modò Regij Sanguinis purpura,
Sed etiam Regiæ indolis candor,
Connotauit *nomina Regum*.

PLANTATIO VIRTVTIS.

Flores
QVos neque frigoribus Boreas, nec Syrius vrit
Æstibus, æterno sed veris honore rubentes. Claudian. de laud. Sere...

VEra virtus nescit marcescere:
Postquàm semel floruerit,
Perenne Ver, & in ipso vere adfert Autumnum.
Pulchrum est in Máio ætatis,
Septembres & Octobres Virtutum viuere:
Atq; in aurora vitæ,
Meridiem indolis formare.
Etiam in Roscio placet Cato.
Nec in paruo Ascanio magnanimus malè viuit Aeneas.
Excedit angustos limites ingens Spiritus,
Vt paucos annos,
Multis extendat virtutum non temporum momentis.
Principis Nostri florida ætas,
In ipsa herba messem adfert:
Quã Augusti mores, in adultæ spei augusto proponũt.

Virtutes Paternæ crescunt in Filio;
Et quæ ibi in fascibus fasceque collectæ sunt,
Hîc in flore.
Gratum est à Superis donum;
pius, & superis simillimus Princeps.
Qui in corde & ore Elysios campos exhibeat,
Pro mæstarum solatio animarum.
Bonis Principibus etiam in animos Jus est,
Quia in vota & affectus.
Fugatur de Regno omnis dolor,
siccantur omnes lachrymæ;
Vbi virtus Principis in subditorū animis riserit.
Fuerit non nemo Principum, Cymbriæ Hilaritas?
Tu nobis Hilariū agis, SERENISSIME JACOBE.
Plantas Hilaritatem,
Toti Poloniæ,
Inter tot à fatali Luna eclipses,
Inter tetrici Martis nubila, tristesq; mortes,
Mæstissimæ.
Mitescit temporum austeritas;
Si mites & mansueti Principes,
Ipsis ferreis temporibus,
auream mansuetudinem imperauerint.
Imperabis discolis Temporibus modestiam;
Lege & statuto modesti pectoris.
Et iam adamantina ætas,
Lactentis Tuæ innocentiæ candore emollitur,
imò expolitur.
Vt sic cultior fiat gemma,
In pallam magni annuli, scilicet Orbis vniuersi,
inserenda.
Non vitri florem ostentat Tua Virtus;
Quæ etiam duriori insita adamanti,
Hoc est adamantinæ ætati;
exprimit
pretio, adamantem, Te regni nostri gemmam;
Colore

Colorè, Hyacinthum,
æquè inter gemmas ac flores pretiosum.
Flos hic, Cælo trahit colorem,
Solum recreaturus:
Poloniam beat, è Polo radicem accipit.
Sanè regalis Horti plantatio,
Vel Cælos fæcundos in terras detrahit;
Vel ipsas terras in Cælos attollit.

PLANTATIO
PVBLICÆ PROSPERITATIS

Laurus annosum Tibi signet ævum:
Fata Te nôrint; properentq; Parcæ
Nescium carpi Tibi destinatos
Stamen in annos. *Sarb. od. 2. lib. 1.*

TOta in TE viuit vigetq; Polonia,
Princeps publicum Regni Cor;
Ideoq; vitæ publicæ sedes.
Quia Tv Vnus publicam,
Tôta Respublica priuatam Tuam viuit vitam.
Vna eademquè vita Regum est, & subditorum;
Si vnum cor fuerit.
Non aliud Homagium bonis Principibus
Boni Subditi debent;
Quàm vitæ & amoris:
Quia homines hominibus.
De singulis verò horis & momentis Regiæ vitæ
Capitalem censum accipiunt Subditi;
Prosperitatem.
Crescunt cum Tuis annis, totius Patriæ anni:
Ipsa Polonia senio grandæua,
Aetate curisq; defessa,
Prolixâ prouinciarum canicie veneranda,
Martijs squaloribus rugosa;
Primam suam repetit Iuuentam;

 Quam

Quam ſub Lecho vixerat:
Vt vel Tibi commodiùs placeat,
vel in Te diutiùs viuat.
Habet illa Libertatem,
Planè Aureum Pomum:
Gratum iuueni Principi donum.
Quod, vt nunquam marceſcat:
Aetatis Tuæ flori conformat.
Obligata & adſtricta Tui Inuictiſſimi Parentis,
Tuiſque annis Libertas Polona,
Nunquam magis ſe eſſe putat liberam;
Quàm cùm Maieſtati ætatiq; veſtræ liberé captiuam;
Amoris tributariam.
Perennabunt anni vniuerſæ Sarmatiæ
In Veſtris.
Qui ipſi, in annis ſæculiſq; vniuerſæ Sarmatiæ
perennabitis
Coronatæ Aquilæ auſpicia,
Veſtris debentur auſpicijs:
Vt Aquilarum annos, eoſque coronatos viuatis.
Non ſoli Auguſto Romana,
Noſtris etiam Auguſtis Polona Aquila,
Adfert Laurum:
Quæ in Lauretum excreſcat;
Singulas frondes, in ſingulas coronas aptaturum:
Ad coronandos in annis Principum,
Patriæ vniuerſæ annos.

PLANTATIO AVGVSTÆ SPEI.

Virg. Aeneid. lib. 6.

Tu Marcellus eris manibus date Lilia plenis

VIderit Roma ſemel auream in culmis meſſem:
Stupuerit aureas Africa vites:
Nobis in Te aurei flores perennant.
Formate Omina Virtutes Hortulanæ;
Ab aure-

Ab aureo flore, num aureus fructus ſit ſperandus?
Nunquam langueſcit ſpes in herba:
Quam Virtus & Gloria plantauit.
Habet noſtra Roma Marcellos,
In flore ſpei marceſcere ignaros.
Tu Marcellus eris,
Romano felicior:
Cui non iam Pænus cum Africa,
Sed totus orbis triumphalem porriget herbam.
Porrexerunt fata Aſcanio,
Inciſas Clypeo,
Res Italas Romanorumque triumphos:
Tu fatorum dono non eges,
Quæ manu Tuâ comprehenſa tenes:
In Paterno Scuto, Poloniæ trophæa,
Et fortunarum omina habes.
Augurem Polonia agat.
Quæ á Parthicis Sagittis, polo ſuo vmbras metuit:
A Regio Scuto accipiat Serenitatem.
Hæc Serenitas Floribus magnæ ſpei,
Gratiſſimam vmbram dedit;
Aeſtus Martios temperantem.
Frigidi imò peſtiferi ab Oriente venti,
Herculeo alliſi ſcuto,
Frangent ſuos impetus:
Vel in lenes abibunt Eteſias:
Vbi flores, & Ver, florum, Eteſiarumq; Metropolim,
Hoc Scuto muniri didicerint.
Ver ſepulchrum Brumæ eſt;
Noſtro aureæ ætatis Vere tumulabitur,
Exorta à glaciali Caucaſo feri & barbari frigoris bruma:
De cuius tumulo viuent ſurgentque feliciùs,
Spes & vota omnium,
Iam adulta
In Flore indolis Sereniſſimi Principis Iacobi.

PLANTATIO PERENNIS FAMAE.

Crescit occulto velut arbor æuo
Fama Marcelli, micat inter omnes
Iulium Sidus, velut inter ignes
Luna minores. *Horat. lib. 1. od. 12.*

Procera, frondoſaque arbor eſt Gloria:
Cuius folijs & ramis,
Orbis vniuerſus amat inumbrari.
Sub huius vmbram,
Regum capita prona veniunt, vt aſſurgant:
Sub huius frondium coronas haſtaſque
Demittuntur, vt honoratius coronentur.
Plantauerat Gloriæ arborem Macedo:
Quæ tamen alterum orbem inumbrare non potuit.
Hinc ille fleuit:
Vt lachrymas pro pluuia affunderet,
Ad incrementum ſuæ plantæ.
Ex eadem Scipiones exciſi,
Ruentis Romæ fulcra dederunt:
Mortis tamen caries etiam illos in ruinam coegit.
In ſe magna ruunt: lætis hunc Numina rebus
Creſcendi poſuêre modum.
Tua gloria, *Arbor erit*:
Vincetq;
Annorum diuturnitate palmas,
Immortalitate Cedros,
Virore & vigore Lauros.
Orientem obumbrabis, vt Occidentem illuſtres.
Tenebroſo Septemtrioni nouum Sidus eris.
Ibi locabis trophæa & Coloſſos,
Vbi Boleſlai æreæ columnæ,
Terminalem Poloniæ ſignabant Lapidem.
Fortunæ inijcies compedes;

Felicius

Feliciùs quàm Xerxes Hellespontο:
Quæ mare, quæ terras, quæ totum possidet orbem,
Tibi liberè sese captiuabit.
Sic vbi annis annales, factis fastos impleueris:
Nouam Famæ annonam, orbi prouidebis,
Vbi Laurus Palmasque seueris,
Gloriæ messem colliges.
Vbi semper aureas æstates vixeris;
Etiám in annorum autumno
Ver aureæ ætatis semper viues.

MAIVS,

Veris Metropolis

SERENISSIMO PRINCIPI IACOBO,

Tributaria.

NON sola floridæ olim Græciæ tempora, sed etiam ferrea Nostra ætas, flores in tributum suo porrigit Principi. Gratissimum est Homagium è Florib⁹ magnæ spei: quibus publica vota incrementum datura, Fauoniorum vice fauentiùs aspirant: vt ad mensuram publicæ priuata Regum vita & crescat & floreat. Pendimus Tibi SERENISSIME PRINCEPS Veris censum, flores; sed eos, quos de Tuo vultu, ueluti floridissimo augustæ spei Viridario Vniuersæ Patriæ vota collegerunt. Neque enim nos aliunde in tributum flores, florenti Tuæ ætati legere potuimus, quàm ex Tuo Campo; in quo totum ver, per diuersos spei flores, diuersaque tempora sparsum, Indoles Tua plantauit: neque Tu, qui totius Poloniæ corda & animos possedisti, & parua licet in ætate, grandibus auspicijs tuam ditâsti Patriam; vllum Homagium á Libertate Amoreque Patriæ accipere debes: quod non fuerit priùs à Te Libertati & Amori Patriæ datum: Cum in Te tota Patria totaque eius libertas, vernare & flo-

rere sese arbitratur. Maiũ igitur Metropolim Veris, nomini Tuo tributariam, & in ea semper Maiales annos, nunquam marcidos vitæ & fortunarum flores, in Homagium accipis. Phæbo olim sacrum Romana Apotheosis dicauerat Maium: Nos in Te Tuumque Tutelarem, hæc sacra transferimus: & Tibi Serenissimo nostro Phæbo, votivum Anathema consecrando, illi omina & vota incidimus.

MAIVS in Augustum formatur: veris amænos
Flora refer census: tristes procul este Planetæ;
Nulla, paludato per cærula vertice Regna,
Nox eat: & tenebras quatiens nigrante quadriga
Deuehat àéreis densata volumina nimbis:
Sed roseâ lætus formosos induat ignes
Fronte Polus: rutilasque faces, ac astra minora,
Fatidicosq; rogos, plausus, nouaq; omina ducat.
Lechicus Ales adest vates: super æthera claro
Igne nitens, medio distinguit ab axe coruscos
Stellarum tractus, Solis, Lunæque Senatum;
Atque repercussa virtutis imagine flammas,
Stellarumq; globos candentibus induit alis.
Fortunata Tibi lentè currentibus annis
Sidera, crescentes Lunas, Solesq; beatos,
Rorantes placidè gemmas, sine nube Serenum,
Promittit Volucris venturi conscia Fati:
Et candore suo consignans candida votis
Lustra Tuis; niueos cernit Te Principe mores:
Quos candor variat placido virtutis honore
Succinctus, mentesq; rapit, populique fauentis
Corda trahit pietatis amor: ceu fragmina ferri,
Atq; pilas teretes vltro properante metallo,
Agglomerat magnes naturâ ac arte ministra;
Ceu niueos spargunt argentea Lilia flores,
Atque verecundo Narcissus ridet ab ore,
Vel Pæstana leues trudit rosa murice ventos,

Puni-

Punicus Hesperijs vel floret ramus in hortis;
Sic Tua, puniceum vernantis frontis honorem
Explicat, & teneros matura Modestia Vultus
Possidet: imperio fidens Virtutis amatæ:
Quã benè cultaThemis commẽdat, Pallas, & altò
Corde repôstus Honos, Virtuteq; nata Parente
Gratia, Fasq; Piumq; & Gloria Mater Honesti;
Insederê sacram sublimis pectoris arcem.
Eruet hinc sero defossam tempore Famam,
Atq; olim mæstis capiet solatia rebus
Bellipotens proles armati Lechia Martis:
Maternis blandè nutritum Palladis vlnis,
Ponet in æratis manibus, Clypeoq; Gradiui
IACOBVM, & toto spectandum deferet orbe.
Sensa poli, populi grandes spes, vota Quiritum,
Sarmaticæq; Aquilæ magnarum præscia rerum
Omina, regali Scuto Campoq; notabit.
Vota Tuis Princeps Sceptris ac aurea scribens
Tempora; sincero voces de pectore promet:
Vince annis Aquilas, annos annalibus æqua;
Ver Tibi semper eat; vernantia tempora circum
Barbarico serpat Laurus nutrita cruore.

Hoc publicum votum est; Princeps Serenissime: quod pro Te ad prima Maij sacra, FloræSalutiq; Respublica exoluit. Superstitiosum Orbis caput Romam illa æmulatur; sed sine superstitione: dum vnâ Basilicâ, vnoque carmineSalutem & Floram pro Te veneratur: quot flores in tributum Floræ, tot floridas ætates in tributum Saluti Tuæ propositura. Tu interim

rim Ver florum Metropolim, tenero adhuc, & iam triumphali pede ſub Aquilis Polonis ingredere: Homagium de horis ipſis diebuſq; floridis habebis. Triumphas enim amore Indolis Tuæ, vota & animos Ciuium: quia triũphabis terrore Nominis arma, & Sceptra hoſtium. Et cui nunc Flos ætatis purpuram innocuæ Regiæ vitæ cõficit: eidẽ purpura barbari ſanguinis victore enſe profuſi, ad gloriæ apicem, regios conſternet aſcenſus. Erigit arcus triumphales Ver, Tibi ſuam metropolim ingredienti: quos nunc florum varietate, mox deuictorũ hoſtiũ rubore colorabit. Exornant illos immortalia trophæa, & immarceſcibiles Inuictiſſimi Parentis Tui laureæ: breui Tibi ipſi vernaturæ: quibus Tu, ſub ferro & caſſide ſqualidũ vniuerſæ Sarmatiæ caput, amænè coronabis. Nũc per floream aureæ ætatis portam, in florum Metropolim Maiũ, deduc tecum totius Reipublicæ annos, Tuis annis tributarios: vt etiam Poloniæ toti, bellorum autumno iam decrepitæ & pænè emarcidæ,

VER AVREÆ ÆTATIS
ſemper floreat.